



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Quam viam in hoc sequi vellet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

conciliandæ concioni, ac frequentandæ. Itaque  
 Canonicos ingenuè monuit, suauiorè vt quem-  
 piam, aptioremque cooptarent. Tantum ab vi-  
 tiis dissimulandis aberat, vt nec notabilia profice-  
 retur: tantum ab pulpitis nobilibus supra facul-  
 tatem ambiendis; vt nec parem se censeret iis, ad  
 quæ ambiciosi votis expetebatur. Interdū etiam  
 veniebat in mentem maius se pretium facturum  
 operæ, si ad scriptionem conuerteret animum  
 totusque esset, quod ad studia doctrinarum spe-  
 ctat, in Catholicis confirmandis aduersus machi-  
 nas, fraudesque Sectariorum. Videbatur sibi ca-  
 re Germanis si non eruditus, at certè idiotis, atque  
 simplicibus non solum gratificari, sed etiam pro-  
 desse in Domino posse. Sperabat aliquid præ-  
 ca, quæ circumferuntur, in medium allaturum  
 vt saltem Caritate, atque modestia vinceret plerum-  
 que scriptores, qui nescio quos impetus, & affe-  
 ctus humanos suis libris immiscent, ipsosque Ger-  
 manos offendunt magis, quam sanant austeram il-  
 la curatione, atque tractatione. Nec se præcipites e-  
 ditiones probare, aut quicquã præpropere eul-  
 gaturum, aut iudicio suo fretum: sed, cum res ac-  
 curate à Patribus cognitæ, probatæque essent. Hæc  
 idem.

*Propensio ad  
 scribendum  
 contra Haré-  
 nicos.*

*Quam Siano  
 in hoc sequi  
 Scler.*

identidem cum recurreret menti cura, ac vereretur ne contra Numinis instinctum despiciendo faceret, cuncta arcana pectoris, vt Patri filius, quo liberaret conscientiam, sincerè Lainio patefecit. Is negligendū nequaquam ratus publicè illum vtilitati patefactum aditum Augustæ, Cardinali, & Canonicis Canisium tradit: Canisioq; respondet, vtramque vt operam styli pariter, ac linguæ coniungat: telis vtrisq; cominus, eminusque rem gerat, ac Dei Ecclesiæ militet. Non potuit gratius quicquam accidere Augustanæ Ecclesiæ, præsertim Antistiti Othoni. Et Canisius respōsum Præsidis sui, quod sanctissimum, ac prudentissimum consilium vocat, velut à Deo profectum accepit: & ad vtrumque munus ( nihil enim geminatum sibi negotiū, quidq; otij Prouinciali, & Cōcionatori eius loci relinqueretur, sed tantum Obediētiæ nutum intuebatur ) maiore quadam fiducia curam aduertit. Vtque intelligas quam nihil de suo laboraret nomine, sed de vtilitate vna publica: quamq; de se humiliter, de aliis præclarè sentiret, per hunc ipsum temporis tractum, qui suos educere fœtus poterat, in alienis quasi educandis, & publicandis multum operæ posuit. Et ordinauit

*Iubetur & stylo, & voce rem gerere.*

*Hosij Opera ad pratum concinnat.*

Y

aduer-